

A F R I C A.

Ium redactis fere omnibus, visendas præbet murorum aliquot reliquias, & aquæ-ductum, qui aquam è monte quodam triginta inde distante milliaribus in vrbē ducebat. Territorium tamen habet satis fertile, hortosque omni fructuum genere copiosissimos. Ciuitas in ea regia est Tunetum, annis superioribus 1535. à Carolo Quinto Cæsare Augusto capta. Gaudet insuper Thermis aquarum calidarum ac salubrium ad Radam vrbem, lacu etiam aquarum calidarum circa Elhalma, quileprosos sanare dicitur. Ad Tunetenses Veneti, Genueses, ac omnes mercatores Christiani mercatus gratia sese conserunt. Agrum habent aridum, nihil ferentem nisi cultus optimè & irrigatus fuerit. Quapropter & frumenta sua aliunde petunt: aquæ præterea penuria laborant, pluialem ex cisternis quibusdam petunt, aquam salam seu marinam baiuli in vrbem venalem conuehunt, eam enim salubriorem potui putant quam pluialem. Vocatur autem totus penè hic tractus iuxta vtranque Syrtim, ad Barchæ deserta usque, propriè Africa. Ptolomæus minorem Africam vocat, vbi Zeus est & Carthago, Maxula, Utica, Catonis morte insignis, & Byzantium quā Lybiphœnices incolunt, continens minorem Syrtim, Leptim, Cyniphim flu. & regionē Tripolitarum, & Leptim medium, quæ & Neapolis dicitur, & Syrtim maiorem, quam *Seche de Barbaria* hodie vocant, Philenorum aras. Maioris ac minoris Syrtis (quam *Golpho de Capo* nunc appellant) difficultas est, quod cum multis in locis fundum habeant cœnosum, propter maris continuos accessus & recessus, continet, ut multi in prævia incidentes inhæscant, & rara nauigia euadant. Quapropter eminus nauigant, cauentes ne incauti à ventis deprehensi, in finis illidantur. Hodie omnis hæc terra uno nomine Barbaria dicitur, vel à murmure incolarum, vel à frequentibus desertis. Bar, enim eorum lingua desertum sonat. Incipit autem ab Occidente circa Messa oppidum, træctuque littorum Septentrionem versus ad Herculis columnas, quæ ibi Strictum Gibraltar conficiunt: producitur inde Boreale latus, mari Mediterraneo lambitur ductu continuo, donec vtraque præterlapsa Syrti, Meietim montem (qui Atlantis ultimus apex est) coassumat, eoque versus Orientem finitur. Meridionale latus limitat pars Atlantis, quæ Mediterraneum mare respicit. Atq; hæc nobilissima totius propemodū Africæ regio est subiecta 3. climati, ita ut parallelus Borealisimius Barbaræ sit 10. dies que maximahorarum 14. Australissimus autem 7. vbi dies prolixior horarū 13 $\frac{3}{4}$. longaq; erit Barbaria milliaribus Italicas plus minus 2400. aut Germanicas 600. lata autem Italicas 330. Germanicas verò 82. vbi latissima deprehenditur. Neque ab his aliena sunt quæ Strabo de Mauranijs tradit. Mauraniā feracē esse, parte tamē excepta, quæ deserta est, fluminibus & lacubus abundare. Arbores profecto & multas & magnas habere, & omnia ferra, atque & mensas ex uno integro que ligno, ac varias Romanis suppeditare. Eius flumina Crocodilos, & alia animalium genera habere proditum est, ijs similia quæ sunt in Nilo. Sunt qui credunt Nili ortum extremis Mauraniæ partibus proximum esse. In quodā flumine Hirudines gigni septennum cubitorum, quæ gulam perforatam habeant, per quam respirat. Item in ea regione vitem nasci, cuius crasitudinem vix duo homines complecti queant. Racemum esse cubitalē, & omnem herbam altam, & olus recens, & dracontium Staphylinorum, Hippomaratri & Carduorum scapos duodenum cubitorum, crasitudinem palmarū quartum. Alit hæc regio Dracones, Elephantes, Capreas, Bubalos, & similia animalia, item Leones ac Pardales, fert etiam Mustellas felibus pares ac similes, excepta rictus eminentia, Simiaruni quoque maximum multitudinem. Mauri conæ cincinnis exornantur, & barba, & auro, & tersura dentium, & vnguium cultu, pugnantque frequentius ab equo hastati, equis nudis vtentes, & iunceis frænis. Gerunt etiam gladios, at pedites Elephantum pellibus pro clypeis se protegunt. Leonum & Pardalium & Vrsorum pelles induunt, & dormientibus sublernunt. Ac ferè ij & sequentes Massæfylj, & Libes magna ex parte vnius sunt cultus, & in cæteris persimiles, paruis equis vtentes celeribus tamen & obtemperantibus, quorū quidam sunt, qui etiam sine tractu dominum sequuntur vt canes. Ora maritima complures habitationes, & complura flumina habet, & regionem valde commodam. Quæ verò in penitiore iacent regione, montana sunt ac deserta. Quæ Getuli tenet, quodammodo dispersa sunt usque ad Syrtes. Ibi vero ad mare & campi vberes sunt, & vrbes multæ, flumina &

lacus. Est etiam ibi bituminis fons, & ærariæ, & pennatorum, & non pennatorum Scorpionum multitudo, magnitudine septenum vertebrarū. Item Phalangia, & multitidine & magnitudine excellentia, & lacertæ bicubitales. Atque hæc de Mauranijs dicta sufficient, nunc Numidiam aggressuri.

NUMIDIA altera pars Africæ, incertis propemodum limitibus à Geographis distinguitur. Hanc Ptolomæus inter Ampsacum & Rubicatum fluuios ponit, qui nunc Suffegmare & Ladon dicuntur, vbi etiam Ampsacus in mare nostrum seu Mediterraneum effunditur, ibique sinum Numidicum illabitur. Exiguæ sanè fines, ac nescio an digni forsan, qui principalis pars tam vastæ & spaciose terræ dicantur. Eos certè Neoterici omnes Barbaræ adiungunt, atque sub Tuneti regno comprehendunt, estque pars ea quæ Constantina illis dicitur & Bugiæ pars. Numidiam initium suū habere dicit Iohannes Leo ab Eloacato vrbe, quæ ab AEgypto centum distat milliaribus, extendique ait Occidentem versus ad Nunnum oppidū Libyæ maritimum, ad Septentrionem Atlante claudi, ea nimirum montis facie quæ Austrum respicit, ad Meridiem Libyæ deserto arenoso terminari. Huic autem annumerat Telsetum, eiusque desertū ad Oceanum Occidentalem, è regione regni Marocci. Guadenum etiā, Ifram & Acham, Segelmessem quæ Mauritania oppositum, item Tebelbelthi & Zebi regiones Bugiæ obiectas, & quā Biledulgerida vocant, vnde totam Numidiam etiam denominant, estque ea regio quæ Tuneti regnum respicit, vbi Getulia proprie est, & Libyæ interioris pars, ad quam postremo habitandā Numidiæ accessere, cum numerus eorum excreuisset. Ita vt pro Numidia habeatur, quicquid citra Atlantem montem Barbaræ subtenditur. Græcis ea Numidia quæ circa Carthaginem est Metagonitis terra vocatur. Numidiæ autem seu Nomades dicuntur tanquam pastores, quod vagantes terram occupent, & mappalij seu domus pabulis permundis, quenammodum Misnensium opiliones plaustris circumferant. Hos Salustius à Medis, Persis, & Armenis ortos dicit, qui in exercitu Herculis erant, quos post obitum eius in Africā transuetos nauibus ait, vbi proxima nostro mari loca occupauerē primū, sed Persæ intra Oceanum magis. Hiisque alueos nauium inuersos pro tugurijs habuere, quia neque materia in agris, neque ab Hispanis emendi aut mutuandi copia erat: ijdē paullatim per connubia Getulos sibi miscuere, & quia sèpe tentantes agros, alia deinde atque alia loca petuerant, semetipsos Numidas appellauere. Denique Africæ pars inferior pleraque à Numidis possessa est. Hæc ille: Vnde factum opinor, vt omnia illa deserta, quæ inter Getuliam & Nigritarum terrā sunt Numidiæ ascribantur. Hæc inter Africæ partes infimo loco est habita, eiusq; regionis pauca sunt quæ celebrentur, præter marmor Numidicum & Dactylos, quorū ingenitum hinc inde profert copiam, verū nō vbique & quæ laudatos. Vbi præstantissimi crescunt est Biledulgerida regio calidissima & aridissima. Quapropter Arabes eam uno omnes nomine terrā appellant dactyliferam, eò quod hæc sola Africæ regio Dactylos habeat. Iohannes Leo vir rerum Africæ peritissimus, vt pote qui in ea annos plurimos commoratus educatusque, ac legationibus publicis Principum functus sit, de huius fructus natura sic tradit lib. 6. descriptionis Africæ. Dactylorum alij sunt masculi, alij foeminae: masculi flores tantum producunt, foeminae fructū: verū foeminarū flores non aperiuntur, nisi quis masculi ramum cum floribus adiungat, alioqui dactyli vilissimi, maximisque nucleis proueniunt. Incolæ verò harū regionum communiter hordeo alijsque vilissimis cibis viuunt, adeò vt compluribus in locis panem non nisi festiuis gustent diebus: ita frumenti nihil prorsus proferunt, sed pro eo dactylos cumulant, quos ad Tuneti regnum conuehunt, vnde ad nos asportantur. Mittit præterea Numidia & Massilia equos cursu præstantes. Et prope Mestratam locus est qui copiosum producit crocum. Infestantur verò incolæ infinita Scorpionum atque serpentum copia, quorum morsibus venenosis multi quotannis interfici inueniuntur. Subiiciuntur initio tertij ferè climatis, parallelus eorum Boreus septimus est numero, ibidemque dies eorum maxima horarum 13 $\frac{3}{4}$. Austrinus est quintus cum medio, habens diem maximā horarum 13 $\frac{1}{4}$. Longa autem habetur Numidia milliaribus Italicas 3000. Germanicas 750. vbi autem latissima est, habet Italica circiter 270. seu German. 67.

Sequitur Libya, tertia Africa pars tractanda.

Veteres Græci vniuersam quidem Africam Libyam appellauere. Vnde Lucani carmen: *Duc age per Scytia populos, per inhospita Syrtis litora, per calidas Libyæ sitientis arenas.* Propriè autem Libyani dic iuvant, eam saltem Africæ partem, in qua Libya Epaphi filia habitavit, à qua nomen terra fortita est. Sunt qui hos à Puth filio Cham originem traxisse dicant, à quo Mauritanus fluuius Phuth nomine retinuerit. Estq; is locus qui Cyrenaica subiectus est, quā Libyam exterioren vocant. Marmaricam olim, nunc Barchæ defertum nominant, terra aspera & inculta: quanquam Marmaricam nonnulli distam velint partem quæ Libyæ exteriori versus Occidentem inigitur. Post Ammonis templū authores Marmaricæ Libyam ponunt, ctius loca nonnulla, velù in per pauca eximiæ dicuntur fertilitatis. De quibus apud Strabonem sic legitur. In præter montana (est autem illi de Libya fernio) lapillos inueniri dicunt Carbunculos & Carchedonios, in campis teitacearum & serpentum multitudinem, vt dicitur est, cùm de Ammone ageremus. Item apud eos arbōr est nomine Melilotus, ex qua vinum conficiunt. Nonnulli terram biferam habent, & duas messes faciunt. Culmus est quinum cubitorum longitudine, crassitudine verò parui digiti, fructum affer modios ducentenos & quadragenos. Vere non serunt, sed terræ colligatis paliuris versæ atque sacrificatae, semina satisfaciunt, quæ ex spicis in messe ceciderunt, maturescunt enim ibi aestiuæ fruges. Sed propter serpentum multitudinem operarij ocreas gerunt, cæteras corporis partes pellibus contegentes. Dormituri verò lecū pedes allio obliniunt, scorpionū gratia paliuris circumligant. Hætenus ille. Quanquam de Cyrenaica potius hæc dicta putem, quæ & Pentapolis ab urbū in ea numero appellata fuit, quæ sunt Beronice, Arsinoe, alias Crocodilorum ciuitas, Tenchria Straboni dicitur: Ptolomæus olim Barce, Appolonia, & quæ regioni nomen dedit Cyrene, vnde Simon ille Cyrenensis, quem cogebant Iudæi Crucem, in qua Saluator noster Christus passus est, ferre. Quam regionē Pyndarus equis optimis abundare. Herodotus autem ita fertilem dicit, vt menses continuos oculi fructus habeat: idque in ora maritima, verū in penitiore regione, vbi à mari introrsum ad ternā quaternā milliaria progressum fuerit, ibi Barchæ desertum est, incipiens à Mesurata, ac se versus Orientem extendens ad confinia usque Aléxandriæ loca: sic vt longitudine Italica 1300. seu Germanica 325. latitudine autem Italica quidem 200. Germanica verò 50. capiat milliaria. Desertum asperum atque frugibus infælicissimum. Leones gignit plurimos, ac venenatorum ingentem faburram, vtpote serpentum & pestium pestem Basiliscum, serpentem, vt ait Plinius, 12. non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula, & quodam diademate insignitum: sibilo omnes fugat serpentes, necat frutices nō contactas modò, verū & afflatas exurit herbas, rumpit & saxa. Ptolomæus A Egypto has partes adiungit. Illud quoque obiter monendum duxi, in hac Cyrenaica Libya Hesperidum hortos esse, aurea mala ferentes, Poëtas fabulatos, quæ imperfecto perugili dracone Hercules surripuerit. Vnde & Hesperiam hanc partem appellauere. Fabulam detegit Solinus, inquiens: Flexuoso meatu æstuariū è mari fertur, adeò sinuosus laterib⁹ tortuosum, vt visentibus procul lapsus angueos fracta vertigine mentiatur: itaq; quod hortos appellauere circundat, vnde pomorum custodem interpretantes, struxerunt iter ad mendaciū fabulandi. Hæc Solinus. Hic Psyllicus sinus in sinu Libyco magnus & profundus navigationis trium dierum, vt Herodotus affirmat. Psyllis autem Strabone teste apud Cyrenaicam regionem naturalis quædam vis est contra serpentes. Et Plinius ait Psyllos populos Libyæ prope Garramantes esse, quorum corpori ingenitum sit virus exitiale contra serpentes, cuius odore eos sopirent, eisque morem esse liberos genitos protinus serpentibus obijcere saeuissimis, eoque generi pudicitiam coniugum experiendi non profugientibus adulterino sanguine natos serpentibus. Hinc Silius Italicus de Atyro scribens, sic ait: *Nec non serpentes dirō exarmare τενένο, Doctus Atyr, τατικόγρανες σοπίρε Chelidros, Αc dubiam admota sobolem explorare Ceraste.* Et Plutarchus scribit Catonem iter per deserta Libyes faciente, secū Psyllos duxisse, qui mortibus serpentum mederentur, partim ore trahentes venenum, partim cantibus medicantes. Hæc gens, vt Solinus affirmat, à Nasamonibus capta, interiit, neque quicquam aliud præter opinionem de vestigio nominis sui Psylli reliquerunt. His confines sunt Garamantes, vnde Strabone teste, Carchedonij lapilli afferuntur: apud quos esse etiam armenta feruntur, quæ obliqua ceruice pascantur, nam proris directa in humum cornua officiunt. Nulli certa yxor est, ex his qui tam confuso parentum coitu nascuntur, quos pro suis colant formæ similitudine agnoscent. Dicuntur ab Aethiopibus & Oceano vicinis abesse 9. aut 10. dierum itinere, ab Ammonie autem 5. dierū. Vocantur hæc regiones hac tempestate Nafzaohæ & Carchæ deserta. Verū cum Ammonis iam sèpius meminetimus, neque illud prætereundum existimauit, in hac Libya Ammonis templum olim extitisse oraculo celeberrimum, ad quod spoliandum cùm proficeretur Cambyses, perdidit exercitum 5000. arenis obrutum, locus prædicatæ & eximiæ amœnitatis inter medias arenas: cuius regio si Diodoro Siculo lib. 17. Bibliothecæ, & Q. Curtio lib. 4. credimus, vndique desertis & aquæ

egentibus, prorsusque omni humano cultu carētibus locis circundata, ipsa tamen in latum & longum stadijs 50. patens, multis amœnisque, & potu salubribus aquis irrigatur, & arboribus omnis generis maximè quæ fructus gigant, referta est. Aëris clementia qualis ferè solet esse Verno tempore. Cumque finitima loca omnia in tolerandis aëtibus caleant, locus hic solus temperie sua degentes ibi mirifice recreat. Non procul ab eo loco Orientem versus Solis foris traditur ab Herodoto, & Q. Curtio: cuius aqua sub lucis ortum tepida manet, medio die cùm vehementissimus est calor, frigida eadem fluit, inclinato in vesperam calefit, media nocte feruida exæstuat, quoque proprius nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decrescit, donec sub iplum diei ortum assueto tempore languecat. Hinc Ovidius Metamorph. 15. *Médiō tua Corniger Hammon, Vnde die gelida est, ortuque obituque calefit.* Quanquam duos nonnulli eiusdem naturæ fontes in his partibus esse velint, quorum alterum Solinus ad Debrim Garāmantū oppidū, qui Hammoni ac Trogledytis vicī sunt, ad Hammonis templū alterum videri affirmat. De quo Silius Italicus lib. 3. *Stat fano vicina (nouum & memorabile) Lympha, Quæ nascente die, quæ deficiente tepescit. Quæque riget medium cùm Sol ascendit olympum, Atque eadem rursus nocturnis feruet in umbbris.* Nec obscurè ex Plinio colligi potest, duos esse Solis fontes. Horum verò miraculorum ex Neotericis Geographicis (quod equidē sciam) meminit nemo. Excepto Andræ Theneto Gallo in sua quam nuper edidit Cosmographia, qui ad Bordenam vrbē Solis fontem locat. Sed hic loci Fezzæ & Birdenæ deserta iuxta Eloacatam vrbem, haud ita procul ab A Egypto constituant. Sunt autē & hæ provinciæ omnes à medio ferè secundi climatis, ad mediū v. que tertij. Ita vt parallelus earum Australissimus, vbi Libyæ Marmarica est, sit septimus diesq; prolixior horarū 1 3³. Borealissimus autem vbi Pentapolis est, sit octauis, aut paulò ultra, diesque prolixior horarū 1 4¹. Interior autem Libya quæ Arabibus non aliter quam Sarra (quod desertum sonat) appellatur, est regio, si Leoni qui eas terras lustravit, creditus, deserta planè & arenosa, quæ nec fontes, nec riuos, nec villam habet aquam, præter eam quæ falsa vt plurimū, rarioribus quibusdam continentur puteis: quibus accedit quod sex sapienter decemuè diecum itinere ne guttula quidem aquæ inueniatur, nisi à mercatoribus, vtribus, camelis impositis, fuerit illis aduecta: quod ijs præsertim locis euenit, qua è regno Fezzæ Tombetum, item qua à Telensino Agadim itur. Initium habet in Occidente è mari Oceano ad Caput album, vbi Zanhagæ desertum aridissimum est. In Septentrione Numidiæ regnis Sus, Hacha, Dare, & cæteris terminatur, extenditq; se Orientē versus, ad loca propemodū Nilo flu. seu Elocatho vrbī finitima, ibique Gaogæ regno finitur. Versus Austrum ad Nigritarum terram diffunditur, quæ ab hac Senega & Negro fluuijs sequeltratur, ibi q; Tombuthi & Guanganaræ regnis terminatur. Totus verò hic træctus, in quinque distinguuntur regiones seu partes, in Zanegates nimirum, Ganzigates, Tergates, Leutatas, & Berdoitas: quæ quidem gentes omnia ferè Libya interioris deserta inter se se partitæ sunt. Loca Oceano iuncta Azanegi occupat, populus barbarus, quos oris æquæ ac verendorum pudet, quare id quoque teatum circumferunt, eo quod halitum per id semper tertiū emittant, nec nisi sumendi cibi gratia detegunt, manu tantisper leuantes velum, donec ingerant bolum, ac mox remittentes ne conspici os possit. Gens, vti à Cadamusto prescriptum est, pauperrima, mendax, ac proditioni dedita. Hunc verò morem Iohannes Leo nobilioribus saltē eorum, familiarem dicit, eumque ciuitati ac modestiæ eorū ascribit. His ad Africum ventum sita est regio Argin vsque ad Oceanū, ad Lebeccium autem habet desertum de Gualata, ad promontoriū vsque cui Capiti albo nomen est: cuius regnū pagos tantum tres, cum aliquot vicis & campus dactyliferis complectit, item Hordenum ac eis desertum, locus apertus, nullo muro cinctus, Arabum diuersorū & Camelorum, qui Tombutum proficiscuntur statio. Viunt hordeo & cærotis, potus est illis Camelorum ac aliorū animalium lac. Vino carēt, solum sterile est, minimeq; herbidum, armenta etiam eorum nostris minora sunt. Alunt autem & hæ loca Leones, Pardos & Struthiones. Versus Nothum autem Tombuthi regnum habent ad Nigritū flumium vsque, cuius domus omnes tuguriola sunt cretacea, stramineis teatis cooperata. Huc contendunt Arabes mercaturæ gratia, itē Barbari, Europæos pannos huc deferentes. Incolæ goffypium texunt. Regio hæ frumentis, pecudibus, laete atq; butyro abundant, quod efficit Nigri flu. exundatio. Salis autem magna caritas. Aquis dulcibus non destituuntur. Moneta vtuntur aurea, eademque non signata, in minutioribus rebus cochleis quibusdam vtuntur, qui ex Persea huc conueniuntur, homines naturā mites atque placidi. Hinc ad Syrochum Azoad desertū est illis aridissimum, ad Apelioten Tegazæ desertum, ad Vulturnum desertum de Benicaræ. Horum verò postremorum Tegazæ nimirum & Benicorai desertorum montibus salis petrei ingens eruit copia, vtpote huius minæris abundantibus, atque id Arabes mercatores ad Tombuti regnū venale deferunt, vbi fodientiū sal miseria maxima est, quod extrema sapienter fame enecentur, quoties non satis temporis mercatores adueniūt, cùm præter id quod ab ijsdem adfertur cibi nihil

Quarta pars Africa.

habeant: nec raro etiam Euro-astro vento flante excancantur. Inde ijdem Azanegi ad Boream Guaden desertum habet, & ad Corum desertum de Tasset vsque ad Oceanum, vbi est porta de Medon. Postea Orientem versus Tergates populi sunt, qui deserta Hayr & Zuenigae incolunt, à Septentrione Tuat & Tagorarim desertis terminatur. Versus Circium Segelmessæ, Tebelbeti atque Benigoari desertis iunguntur, versus Occidentem Tegazat & Azaoad deserta finitima habent, à Meridie Ghir & Agades desertis, & regno circundantur, vbi oppidū eiusdem nominis Agades muris cinctum, domus elegates habet. Iuxta quod ferunt reperiri manna copiosissimum, quod incolæ manè collectum & recens vasculis Agades venum portant. Versus Meridiem autem extenduntur ad desertū de Igidi, inter Austrum & Apelioten Lenitæ desertū habent, cuius incolas Leuatas superius diximus. Habentq; hi ad Septentrionem desertum Tebessæ, ad Trasciam Gargala, ad Faunum Hayr & Targa, ad Austrum Igidi & Cano: cuius incolæ, vt plurimum pagos inhabitant, pastoriam alij, agriculturam alij exercent: frumentum, orizam atque gossypium vtcumque producit regio. Sunt etiam frequentia deserta & nemorosi montes, multis fontibus irrigui: prouenit & diës nemoribus satis bona malorum Citreorum & Limonum sylvestrium copia, à satiis sapore parùm differentes, Oppidum Cano quod regno nomen impertuit, cretaceo muro cingitur, ac domibus etiam cretaceis cōstat. incolæ diuites sunt, & ciuitatis amantes. Inde versus Orientē Guangaræ regnum, item Gheogæ & Theoræ regæ deserta attingunt. Versus Vulturnum Iasides desertum & Guademitas respiciunt. Quintum locum obtinent Berdoitæ, qui Berdohae desertum incolunt. Atqui hi versus Septentrione Barchæ desertum & Fezzen ad Occidentem. Geogam habent. Versus Meridiem extenduntur per regnum Borni & desertum de Seth. Ad orientem Gahogæ Nubiaræ regna habent, qui locus frumento & saccaro (quo tamen vti nesciunt) scatet. Magna etiam hic Zibeti & ligni Sandalini copia. Eboris etiam plurimum habet, quod sāpius elephantes ibi capiantur. Supra hos autem Augella & Algnechet finis deserta Libyæ sunt, continens quælibet earum tria castra, cum paucis pagis, nec villa re prater Dactylorum satis vberi prouentu gaudent: summa enim frumenti inopia laborant. Sunt autem omnia hæc regna à Septentrionis parte initium sumentia: à principio secundi climatis sub parallello sexto, vt-pote sub latitudinis gradu 25. vbi dies maxima computatur horarum 13. & 1. aut paulò ultra. Extenduntur verò Austrum versus ultra pri-mum clima, ad parallelū tertium vsq; vbi latitudinis gradus habentur gr. 15. estque dies prolixior horarum 12. & 3.

Succedit quarta Africæ pars, quam Nigritarum terram, ab eiusdem nominis fluvio appellari diximus. Eam Iohannes Leo hisce terminis circumscribit, vt ab Occidentis parte à Gualata regno initium sumens, Oceano terminetur, ac Orientem versus ad Gaozæ regnum Ægypto proximum extendatur, à Septentrione etiam Libyæ desertum claudat, à Meridie rursus Oceano locisque sibi incognitis finiat. Vnde non obscurè liquet huius terræ Australi terminum ipsi incognitum extitisse, id quod initio libri septimi sua descriptionis fatere videtur, tum propter locorum nimiam distantiam, tum propter linguarum religionisq; diueritatem. Hanc verò partem in quindecim distribuit regna à se perlustrata: quorum nomina sunt Gualata, Ginea, Melli, Tombutum, Gagos, Guberis, Agades, Canos, Casena, Zegzega, Zanfara, Guangara, Burnum, Gaoga, Nubia. Hæc quindecim regna maxima ex parte ad Nigrum flu. sita sunt, per quæ mercatoribus ex Gualata Cairum proficiscentibus iter pater, via quidem longa admodum, secura tamen atque tuta. Suntque omnia hæc regna sibi inuicem adiacentia: decem autem ex his sunt aut aliquo deserto arenoso, aut Nigro flumine separata, habent autem & alia multa ad Meridiem confinia: vt sunt Bitos, Tenuamia, Daunia, Medera, Gerania, Mellette, Benin, Biafar. His etiam Cadamusti nauigationibus famosiora multò regna Nigro & Senegæ fluuijs vicina sunt. Senegæ nimurum Gambræ, Budomel. Vnueristi itaque hi populi vno omnes nomine Nigritæ appellatur, tum quod ceteris Africæ populis, quemadmodum & Æthyopes nigriores sunt, tum à fluvio cognomini, qui terram eorum alluit. Tametsi qui cis fluuium habitant, subcinericei coloris fusciique, qui verò ultra nigerrimi perhibentur, rursumque hi corpuléti, statura proceræ, ac viribus valentes, illi contrâ sicci, statura parua, virium imbecillarum existunt. Terra insuper trans flu. sita, herbida floridaque omnis, feracissima, foecundissimaque, fluuijs irrigua, cis verò flu. contraria omnia. Verum singularem huius populi regnorum situs ostendamus, à Gualata regno sumpto initio, quod à Metropolitanæ sibi cognomini vrbe nomen vendicat. Distatque à Numio Meridiem versus trecentis ferè, à Tombuto Septentrionem versus quingentis, à mari Oceano circiter centum milliaribus, sub ipso cancri tropico, vbi Gualata vrbs ad latitudinis 23 $\frac{1}{2}$. longitudinis verò septimum gradum sita est, regnum (si alia respicias) augustinissimum. pagos enim tantum tres, cum aliquot vicis, campisque dactyliferis complectitur. Olim ingenti mercatorum Barbarorum frequentia florens, quibus nunc Tombutum frequentantibus, rerum omnium penuria laborat. Huic post Hedeni, & Araoran deserta Austrum versus Tombuti regnum vicinum est, hoc quoque nomine ab eiusdem nominis oppido Metropolitanu de sumpto, in duodecimo millario à quadam fluuiolo sito, quod è Nigro flumine effluit. Tuguriolis cretaceis, stramineisq; tecis confat, exceptis templo quodam, regioque palatio lapideis muris calce viua extractis, constantibus. Frequentissima hic artificum, mercatorum, præcipue autem tela atque gossypij textorum officinae. Regio est frumento, pecudibus, laetè atque butyro copiosissima: salis verò summa est penuria, quem à Tagaza mineras, in quingentelimo ferè inde distantibus millario, camelis conuehi curant. Moneta vtuntur aurea, nullis figuris insignita. Duodecim hinc milliaribus ad Nigrum flu. Cabra oppidum situm est, vbi mercatores ad Ginea ac Melli regna profecturi, naues condescendunt. Hinc Orientem versus quingentis ferè milliaribus distat Canos regnum, ac prouincia amplissima. Nascitur hic frumenti Orygæ atque gossypij satis bona copia, frequenter sunt deserta, montesque nemorosi, multis fon-

tibus irrigui. Prouenit ijs nemoribus malorum Citreorum Limonumque sylvestrium sapore à satiis haud multum differentiū, abundans copia. In regni medio oppidum est eodem nomine appellatum, cretaceis quoque adificijs confat. Huic Subsolanum versus Casenæ regnum coniunctum est, montibus frequentissimum, agroque aspero, hordei tamen milijque fœcundo. Incolæ coloris nigerrimi, apprimè natuti, labes prominentioribus, vilissimis quibusdam tuguriolis, atque casulis se continent. Habent hi Aquilonem versus Agades regnum atque oppidum Libyæ interiori vicinum: cuius adificia Barbarorum modo elegantissime adificata sunt. Incolæ omnium ferè Nigritarum candidissimi, horum pars maxima exteri sunt, mercaturam exercentes, reliqui omnes aut artifices sunt, aut apud Regem stipendia merent. Hinc Euro-nothum versus Zaufaræ regnum, Casenæ ac Zegzeg regnis in Oriente coniunctum, cuius populus rusticati additissimus. Ager frumento, oriza, milio, atque gossypio copiosissimus. Incolæ statura procerioris, coloris nigerrimi, facie latissima, ingenio prorsus beluino. His ad Euro-austrum Guangaræ regnum coniungitur, incolarum multitudine ditissimum. Vicis quibusdam constat vilissimis, uno tantum excepto, qui magnitudine, atque elegantia ceteros antecellit. In Meridie cuidam regioni Argous cōiungitur cui Mederæ nomē est, auri mineras ditissimo. Guangaræ regno versus Subsolanū, Borni regnum atque prouincia amplissima est contigua, extenditque se in Orientem ad quingenta ferè milliaria. Distat ab eo loco vbi Niger flu. originem habet, centum ferè & quinquaginta milliaribus, ad Austrum deserto Seth adiacet, ad Boream Berdoæ ferè deserto iungitur, quod Barcham respicit. Inequalis est huius regni situs, siquidem montana partim est, partim verò plana. Planicies autem pagos complures habet, mercatoribus incolis ditissimis, atque frumenti copia facilissimis. Totius regionis pagum quandam maximum Rexcum suis occupat. Accolæ per totam æstatem nudi incedunt, pudendis tandem corio quodam velatis. Hyeme verò pellibus vestiuntur, pelliceosque sibi sternunt lectos, ab omni fide religionēque alienissimi, beluino prorsus more viventes: mulieres atque proles communes habent, nullum hic nomen proprium audias: sed omnes vel à longitudine vel pinguedine, aut alio quoquis accidente denominari solent. Ad Hellespontum huic Goagæ regnum confine est, id Orientem versus extenditur ad finitima vñque Nubiæ regni loca, in Meridie deserto cuidam adiacet, quod ad Nili gyrum quendam situm est, in Septentrione Sertæ deserto, Ægypti terminis clauditur. Patet in longum ex Occidente in Orientem quingentis, in latum verò totidem ferè milliaribus. Literis hic locus nullus, habitatoribus agrestissimis existentibus, præsentim ijs qui montana incolunt. Nudi vti superioris regni incolæ incedunt, pudibunda tantum quendam pelle velati. Tuguria ramulis frondibusque composita habitant, gregem verò (cuius summam gerunt curam) alunt copiosissimum. Iam dicti regni Occidentalibus terminis iungitur Nubiæ regnum, id Eurum versus ad Nilum vñque se extendit. In Meridie Gorauia deserto, in Septentrione verò Ægypti finibus terminatur, quanquam inde in Ægyptum nauigari haud possit, eo quod plerisque hic locis Nilus vadofus sit, nec altior quam vt facile quis pedes transire queat. Regni Metropolis est Dangala, incolis frequentissima, domus vti pleræque Nigritarum cretaceæ, tecis stramineis, cum Caii & Ægypti mercatoribus negotiantur. In reliqua huius regni parte pagos tantum vicosque reperias ad Nilum flu. sitos. Quarum verò rerum hoc regnum ferax sit, deq; eius Cibeti ac ligni Sandalini, nec non Eboris ac fassari prouentu superius à nobis dictum est. Verum cum Cibeti nobis hic mentio fiat, non absurdum visum est referre quidnam id rerum sit, cuius cum odor, tum vires tantopere ab omnibus commendantur. De eo verò sic tradunt: Reperi in Æthyopiæ sylvis animalculum ex felium sylvestrium genere, cuius catulos mercatores comparent, eosque lacte, furfure ac carne caueis inclusos alant. Excrementum verò bis terè singulis diebus excipiunt, id animalculi sudor est, nam virgula crebris istibus percussum per caueam agitant tantisper, donec sudor erumpat, quem sub coxis, brachij, collo, caudaque excipiunt: Idque excrementum vulgo Zibettum dicitur. Est & veneni alicuius præsentissimi hoc regnum ferax, cuius si granum vnum inter decem homines vnum distribuatur, intra quartam horæ partem omnes eneat. Eius vicia centum aureis venit. Atque hæc sunt regna quæ Meridiem versus interiori Libyæ subiunguntur. Iam sicuti in his enumerandis ab Oceano Atlantico Nilum versus, hoc est ab Occasu in Orientem progressi sumus, quem ordinem in superioribus quoque Africæ partibus obseruauimus: sic nunc commodatis gratia, à Nilo ad Oceanū, hoc est ab Oriente in Occidentem reuertemur, reliqua Nigritarum regna perstringentes. Nubiæ itaque Libonothum versus Danut Mederæque regna finitima sunt: quorum habitatores ditissimi, industrij, iustitiae & equitatisq; amantissimi perhibentur. His ad Faunios finitimum est Zegzeg regnum, regionem Canos ad Corum contiguum habens. Casenæ verò regnum ad Boream, vnde centum ferè & quinquaginta distat milliaribus. Pars regni in planicie, reliqua in montibus sita est, quarum hæc frigidissima, illa contrâ calidissima est. Agro gaudent irriguo, frugibus omnibus fœcundissimo, domos habitant vilissimas. Incolæ negotiationi cùmprimis dediti. Hos ad Libonothum Gubenis regnum excipit, à Septentrione Senegæ, à Meridie Dauma, ab Occidente Gagos regnis terminatum, montibus altissimis cinctum, pagisque cumplurimis, pastoribus atque bubulcis inhabitantibus frequens, pecudum armentorumque multo verò statura humilioribus, quælibet alibi, diues. Mechanicorum ac tela textorum infinitis propemodum numerus. Orizæ alijsque quorundam leguminum nobis ignotorum hic abundantia: quorum semina Nigro flu. excrescente, suaque inundatione agros omnes huius regionis tegente, in aquam projiciunt. Trecentis ferè milliaribus ab hac Provincia Occasum versus distat Gagos regnum, estque inter duas has regiones desertum quoddam summa aquæ penuria laborans: distat enim à Nigro circiter 40. milliaribus. Gagos verò oppidum Metropolitanum, nullis muris cinctum, distat à Tombuto Meridiem versus quadrangulis ferè passuum millibus, inclinatum ad Euro-astrum. Maxima in vrbe opulentissima reperitur frumenti atque carnium abundantia: vini verò, arborum fructuumque summa inopia, Melones tamen, Citreolos ac Orizam haud desiderabis. Sunt & aquæ dulcis putei frequentes. Est hic locus quidam ad quem statutis diebus, quibus mercatores conuenire solent, mancipia ducuntur venalia. Quindecim annorum iuuenis sex aureis venit, tantidem & pueri emuntur. Incolæ ignari sunt atque rudes, ita vt vix centesimo millario quenquam reperias, qui literas nouerit. Hinc si Occidentem versus proficisciare, Mellis regnum huic confine reperias, id sese ad flumen quoddam ex Nigro flu. affluens, per trecenta propemodum passuum millia extendit: à Meridie Ginea, à Septentrione Tombuti, ab Occidente verò Senegæ Gambraeque regnis limitatur. Hæc loca in tantum caloribus infestar iscrit Cadamustus, vt omnia ferè illic quadrupedia fatiscat, quippe cum nihil pabuli ibi crescat nisi pestilens: vnde statis etiam annis temporibus grauissimis morbis corripiantur incolæ, sanguine eorum intolerabili astu prorsus infecto. Ad Aegestem huic Senegæ regnum vicinum est, id Orientem versus Tuchaneræ regioni conterminū, in Meridie Gambræ regnum contingit, ad Occidentem nemoribus

Quarta pars Africæ.

& Atlantico Oceano, ad Septentrionem Nigro fluu. clauditur. Vrbes nullas habet, rufula verò & mapalia potius quād domos dixeris: quandoquidem nec calcem quo parietes ferruminentur, nec lateres habeat. Vino quoque, tritico, silagine, hordeo, aue-naque carent, fit id carentis syderis vi, præsertim cùm ibi mensibus nouem iugiter non pluat, ab Octobri videlicet usque in Iulium mensem, quare trimestri non amplius spacio seminant & legunt sata, ignai cæteroquin cultores, quippe qui nec suffæctura annua semina terræ commendent, nec id quod prouenerit, in horrea recondant. Potus illis est palma succus, lac & latices: nec ea est palma quæ daethylos seu cariotas fert, sed ab hac arbor diuersa quoquis anni tempore succum remittens. Arboris truncum fauient, lachrymam inde manantem vase aliquo(yt thura leguntur) excepta ad ebrietatem usque hauriunt, quippe cùm liquor is sit vino quoquis etiam generoso meracior, color illi subcinericus, vnde lactis serum repræsentat, Mignolum vocant, nec maior est prouentus arbori, quād binæ ternæ mensuræ intra diem naturalem, fert ea arbor fructum, oliuæ triplici virtute pollentem: Oleum videlicet, vt odoris violacei, saporis oliuæ, id si dapibus adhibitum fuerit, eas vti crocus tingit, aut eò amplius. Nec his quoque pecunia signata usus est. Hoc regnum à Septentrione Nigro flu. claudi dixi superius. Estque is flu. qui subcineros Azanegas à Nigerrimis dispergit. Vocatur etiā Dangue vel Iza, ac complures alios ex se amnes emitit: quibus in Oceanum quibusdam veluti ostijs devoluitur, cuiusmodi id quoque est cui Senegæ nomen fecere. Sumit suum initium ex quodam deserto, quod Seu apud illos dicitur, idque versus Orientem. Aiunt alij ex lacu quodam suam habere scaturiginem, alij è Nilo deriuari aiunt, quem sub terra sece condere volunt, eumq; tandem lacum efficere. Tanta à Nigro flu. fertilitas ad illorum agros (quibusdam tantum montibus exceptis) reportatur, vt nihil illis fructuosius excogitari possit, nec habet Nigritarum terra vlla loca, quæ cum his loci amoenitate fertilitate certare queant, quæ huic flumini vicina sunt: nani quod Nilus Ægypto, id Niger est Nigritarum solo. Crescit enim ad Nili instar à decima quinta Iunij die per totos quadraginta dies, per totidemque decrescit. Incrementum autem sumente Nigro, cymbam per totam Nigritarum terram deducere licet, cùm omnia inundatione sunt plena, flumen patentioris est aluei, ostiumque habet spacio vnius milliarum, id altissimum est, & cum alio ostio efficit insulam, tandem duobus adhuc ostijs in mare se exonerat, prævijs abacis, scamnisque (vt vocant) nauigationem periculosam efficiens singulis, sex horis maris fluxusque refluxusque sentiens. Cumque Oceanus aquas reuomit, id tanta fit vi, vt flumen retroagat ad 60. millaria. Coniungitur hoc regnum Meridionali sua parte cum Gambræ regno, id ad Orientem Budomelis, Mellisque regna contigua habet. Meridionale verò latus Sereni populi ac Oceanus Occidentale, Barbazini itemq; Oceanus claudunt. Viuunt vti superioris regni Incole, nisi quod canibus vescantur, quod apud reliquos in vsu nunc est. Prædicatur huius regionis aurum, cuius nomine famosa est. Flumen eiusdem cum regno nominis à Senegæ regione id separat, traditur autem ostium eius quo in mare deuoluitur, patére latitudine trium vel quatuor milliarum. Hinc Euro-nothum versus Guinæ regnum præclarum sequitur, id ad Cotum ventu Bithomin & Mellis ad Aparciam, Theicrian, ad Eurum Melegeti, ad Austrum verò Oceanum terminatur. Gaudet id regnum auri minæris foecundissimis ad lōgitud. 24. latit. verò Septentrionalis 5. gradum situs, cuius gratia celebratur 15. tractus cùm apud mercatores quoque tum maximè Lusitanos. Eboris præterea & aromatis cuiusdam cui grano Meligeti, à regione, in qua vt plurimum nascitur nomen est, id Cardomomi minoris species habetur, hic maximus prouentus. Sequuntur in hoc tractu Orientem versus, Daumæ, Bemin, & Biafar regna. Isque Nigritarum regionis terminus est, à nonnullis Æthyopiæ inferioris nomine vocata, hiisque Africanorum omnium breuissimam vitam degere dicuntur. Terræ plurimum complectitur: Longitudinis enim haud minus 55. gradibus, à Senegæ nimis Occidental termino ad Nubia ac Gaoga regnorum usque Orientalem comprehendit, latitudinis verò circiter 23. continet, à regni videlicet Biafar Meridionali termino, quo æquinoctiali subiectus est ad Gualatæ regni Septentrionale latus, ipso propemodum Capricorni tropico subiectum. Subiacent itaque à principio primi climatis ad medium usque secundi: idcirco parallelus eorum Australis nullus, vt pote ab æquinoctiali incipientes diem nullo non anni tempore nocti æqualem habet, Septentrionalis verò quintus est numero, ibidemque dies æstiva prolixior horarum 13¹₄. Æthyopiam cum hac Nigritarum terra comprehendendi superius dictum est: quare si eius magnitudinem respicias, huic non immerito maximâ Africæ partem deberi fateare necessum est, vt pote à mari ad mare se extendens, ab Oceano videlicet Hesperio ad Indicum usque Oceanum: à Guinæ enim regno seu sinu Africae magno littora omnia perstringit, donec Arabicum assequatur sinum. Terminatur itaque à Oriente Indico Oceano, sinuque Arabicæ, ac maris Rubri tractu. Septentrionale verò latus paulò infra Snachi desertum Riffæ regnum Ægypti principium finit, ac inde Occidentem versus continuo tractu Marmarica, Nubia ac Borni desertis reliqui, iuxta Nigri fluminis ulteriorem ripam, ad Hesperium usque protenditur Oceanum: vbi & Guinæ regni partem amplexitur. Occidentalem plagam idem Oceanus ac insulæ secus id littus sparsæ limitat. Meridionalis vero termini limes est promontorium, id cui Leonii Magno nonnulli os maris ibidem importuositatem, sauitiam, rugitusque, alij autem capiti Bonæ-spei nomen fecere. Hac enim parte à terra Australi incognita separatur Oceano: Æthyopiae verò nomen ab Ethyope Vulcani filio originem traxisse ferunt, nonnulli alij Græcam Etymologiam sequentes, ab excessu caloribus: quibus hæc plaga infestatur, ob id quod Solis nullo non tempore subiecta sit, vocabulum natum credunt, cum Ethyopie exusta hominem denotet. Horum verò populorum originem, qui altius rem expendunt à Chus Chami filio Noë nepote deriuant, cui hanc partem forte contingit affirmant. Alium vero eiusdem Chami filium, cui Mezraimo nomen erat Ægyptum coluisse, eiusque populum condidisse aiunt. Vnde Ægyptus terra Mezraim, Æthyopia verò terra Chus dicta erat, vti Iudæa à Iacobis filio Iuda nomen accepit. Rei fidem facit quod Sacra litera testantur Iobum è terra Chus oriundum fuisse. Verum ne nos ter hic tractatus in immensum excrescat, prætermis singularum huius tam vastæ prouinciae regnum singulorum peculiari descriptione, præcipua tantum ex ijs regnorū nomina recensēbimus, vt Cosmographiæ studiosi intelligent, quarum regionum haec totius quædam Africæ pars maxima (verum partum ob remotiorem à nobis situm, partim ob incolarum sauitiam, ac plus quād feram ac brutalem ferociam ac inhumanitatem quæ hæc loca quasi inaccessa efficit, nobis nimis cognita) capax sit. Ab Occidentali itaque eius parte initium sumentes, littoralia primum marique vicina enumerabimus. Deinceps ad Mediterranea transiunt. Itaque post Benin & Biafar regna superius tradita, ad sinum Africæ magnum secus Oceanum sequuntur ultra æquatorem, Mamicongæ regnum, post hoc toto eo tractu Occidentali regna quidem famosa nobis nulla cognita sunt. Crebris verò desertis Meridem versus protenditur: vti sunt desertum Petrosum,

desertum de Bases, Calburas, Concritam, Candeo, Pancal, hinc caput Bonæ-spei, ultra Capricorni tropicum 25. gradibus positum, Mahambatæ regnum vicinum habet. Deinceps secus Indici Oceani littus Septentrionem versus sunt Benamataxæ & Cefala regnum, auri minæris ditissimis, ac prope nulli secundis, nobilissimum post hæc Agag, Monzembique. Cuius incolæ nudi quoque incedunt, pœsti totum corpus terra quadam diuersi colore, pudibundis vel tela cotonina, vel libris arborum tenuissimis conætis. Nec apud Germaniæ Heluetios, Belgæ & Hollandos maior vaccarum numerus esse, traditur à nonnullis, quād hæc Elephantum. Introrsum à littore ad centena milliaria Tirut ac Sibith regna conspicantur. Deinceps verò Quiloæ insula cognomini sibi regno in continentem adiacens, cuius incolæ cooptiori ornatioriè habitu reliquis omnibus huius tractus populis incedunt, bombycinis sericisque vestiti, mercatoribus ditissimis existentibus, vt pote quorum negotiatio, preciosissimarum sit mercium auri scilicet argentiæ, musci, ambræ, ac margaritarum. Post hæc Goragæ, Camu, & Simis regna visuntur, hinc Mambazæ regnum & emporium sequitur, cui mox Metinde regnum iuxta sinum Barbaricum sub ipso pene æquatore annexatur, quod statim citra eundem circulum à mari introrsum Baru & Fatigar, secus verò mare Magadaxæ regna concomitantur. Inde Doara regnum, ac Zingi populus iuxta Trogloditicam regionem, post hos Zolai, Adel & Balle regna Arabico sinu subtenduntur, deinceps sub sinu Adulico Dangali regnum est, sequenti autem maris Rübri tractu, Amamir regnum ad Siachan desertum usque extenditur. Littorali hæc tenus circuitu expedito, iam Medierranea recensēbimus, dextram Nili ripam seu Orientalem sequentes Austrum versus. Itaque sub Ægypto primum occurrit Canfia regio, post hanc Balle ac Barnagassi regna Gneguereæ insula Nili, olim Meroë dictæ vicina. Hæc Sabæ regio erat, cuius Reginæ sacra meminerunt litera. Meroë totius Æthyopiæ caput, ac Gerich, Auarach Abyssiniorum seu Æthyopiæ Imperatoris, quem nos Presbyterum Ioannem dicimus, sedes regia, ibidem Eurum versus Dobas regnum cōspicitur, Astabora flu. quem Coror nunc vocant, irrigatum. Deinceps in Austrum magis vergente Tigre ac Angote, & Astape Niloque fluuij cinctum, vtrinque Bagamida inferioris, nec non & Tigremachoni regna cernuntur, & sub his Belleguancæ & Amaræ regna æquatori circulo subiecta, vbi & mons Damara visitur, in quo aluntur filii Presbyteri Iohannis, seu Imperatoris Æthyopiæ. Post hæc lacui Zaflan in Septentrione Xoa & Ambian regna. Versus Ortum autem Cenan, Cenu & Gorgæ, at Occidentali latere Nouæ, Fungij, Quara: Meridionali autem Gasabele, Cumar, regna populiæ adjacent. Hinc Libonothum versus pergentibus Maytachazi regnum occurrit, at inde in Austrum vergunt Botargas populus, Butuaque regio aurifodinis famata, fluuij cui Spiritu sancto nomine dedere Lusitani nautæ finitima, idque aurum est quod Tiberinum vulgo dicunt. Capricorni tropico hæc loca subiecta. Sequentes verò populi partim ob locorum distantiæ, partim ob insidiosam beluinamque feritatem, quæ exterorum commercia non admittit, haud satis cogniti. Dicuntur tamen potenti cuidam Regi Benematape parere ad promontorium usque Leonis, seu Bona-spei. Atque hæc sunt quæ inter Nilum Oceanumque Indicum sita sunt. Nunc quæ sinistra Occidentaliuè Nili ripæ adjacent, recensenda sunt. Quare vt in superioribus à Septentrione in Austrum progressi sumus, ita nunc contra ab Austro in Boream reuertamur. Zembea itaque fluuij ac lacui ad Notum ventum Bagameti superioris, & Armetæ regna propinquia sunt: Hæc ad Boream Zeth, Gaui, Cafatesque regna habent Zaire lacui ingenti ac spacio, marinisque monstros referunt, vicina. His vero Borealiora sunt Agag, Goiana æquatori circulo rursum appropinquantia. Citra verò hunc circulum Chedazaflan & Vangue regna Nilo flu. Nigroque lacui interiacent, eademque mox Ambian, Cantiua ad Aparciam sequuntur. Quæ verò vltierius in Boream protrahitur ripa, frequentissimis desertis ad Ægyptum usque extenditur. Ægyptum verò ab Egypto Beli Assyriorum regis filio, ac Danaes fratre, nomen sortiti tradunt nonnulli. Incole eius terræ eam etiamnum hodie Chibæ appellant vocabulo, quo Egypt exprimere velle videntur. Verum Hebrei ac Arabes cum terram, tum incolas eius Mefraim vocabulo denotant, ab Mefraimo filio Chus, filij Cham, vti paulò ante monuimus. Clarissima hæc regio ab Occidente Baræ, Libye, Numidiæque desertis clauditur, ab Oriente vna cum Africæ termino Orientali mari Rubro ac deserto de Sues: à Septentrione mari Mediterraneo, à Meridie agro Bugiensi, & Nilo terminatur iuxta Rif regnum. Cuius fines cum collati reliquis Africæ partibus exigu sunt. In longum tamen plus quād in latum extenduntur, eoque saltem loco culti habitatiæque sunt, quo Nilus à steriliissimis vtrinque desertis inter montes distans, angusta latitudinis spaciū complectitur: tametli aliquatenus se extendant versus mare Mediterraneum. Nilus enim octuaginta ab Alcairo passuum millibus in duas secatur partes, alueumq; efficit, qui in Oceanum deflectens, redit vnde prius emanauerat: & Alcairum circiter sexaginta passuum millibus præterlapsus, iterum in duos secatur ramos: quorum alter Pelusium, alter Rosetum fertur. Ex eo porrò quod Pelusium præterfluit citius, deriuatur alueus, qui in lacum cōuersus angustis fauibus mari coniungitur, ad cuius ripam Temessæ antiquissima ciuitas est condita. Quæ Nili in partes diueras sectio aliquam, camque exiguum Ægypto latitudinem præbet. Vniuersa hæc Provincia plana est, omniq; granorum ac leguminum genere fertilissima, nec non pascuis latissima. Tempore quo Mahumetani regionis huius principatum occuparunt Ægyptus trifariam diuisa est. Oram ab Alcairo Rosetum, Errisiam vocant, ab Alcairo ad Bugæ confinia Sahidi, id est terrestrem. Solum verò fluminis alueo, qui Pelusium ac Temescam fertur adiacens Bachriam seu Maremmam nuncupant. Cum autem tota Ægyptus fertilissima quidem sit, Sahidica tamen prouincia reliquas partes omnis generis leguminum, animalium, pullorum, liniique copia antecellit. Errisia fructibus & Oryza, Maremma, Gossypio & saccaro foecundior. Errisia & Maramma habitatores Sahidicos urbanitate superat, quod due hæc partes mari vicinæ ab Europeis, Barbaricis, & Assyrijs plus frequententur, ad illos vero exterorum, aut nulli, aut per pauci penetrant. Floruit hæc prouincia olim eodem tempore (teste Theodoro Siculo) ciuitatibus, oppidis, vrbibusq; insignibus ultra 1800. Ptolomæi Lagi tempore amplius 3000. annumerata sunt. Vniuersi populi numerum fuisse antiquitus tradunt septies decies centena millia. Eaque causa exitit, cur traduntur priores Ægypti reges magnis mirandisq; operibus à se multitudine hominū extructis, immortalia gloria sua monumenta reliquiss: vnde in hac regione Labyrinthus etiā exitit, ex quatuor qui in orbe reperiuntur artificiosissimus ac sumptuosissimus Psammetichi opus, domos mille, & regias duodecim, perpetuo parietis ambitu amplexus marmore extructus ac tectus, vnum in se descendens habens, intus penè innumerabiles vias multis ambagiis huc atque illuc remeantibus, sed cōtinuo anfractu, & sapè reuocatis porticibus ancipites, quibus subinde aliuni super alios orbem agentibus, & subinde tantum redeute flexu, quantu procererat magno & inextricabili terrore perplexus est. Et præter hunc alias quoque haud procul à Muridis lacu magnifica structura, vbi sepultura Imandis cuiusdam dicitur.

Quarta pars Africae.

Vrbes hodie in ea cæteris nobiliores sunt Alexandria ab Alexandro Magno in extremitate maris Mediterranei loco situque pulcherrimo condita, multum tamen vetustæ celebritatis eius intercidit, ex quo Mahometi imperio subiecta est, quamuis etiamnum imperium sit, quo ex omnibus ferè orbis partibus Europa, Asia, Africaque mercatus gratia confluere solent negotiatores. Alcairum non minori fama celebre alterum est mercatorum emporium, familiarum ultra octo numerat, Ciuitas in pulcherrima planicie montis Mucatum duobus à Nilo passum millibus disti, posita, perpetua moeniorum serie portisque ferreis citata. Verum h̄c Ægypti vrbes describere non est nostri instituti. Dicuntur Ægypti scientiarum ferè omnium amantissimi, studiosissimique olim fuisse: quare & Astronomia, Geometriaque artium inventionem plerique illis acceptam referunt. Cùm enim Nilus quotannis sua inundatione agrorum, possessionumque terminos ac limites confundere soleat, apprimè illis huius doctrinæ scientia necessaria erat. Literas vero ipsos Græcis priores habuisse nulli ferè dubium est, & ab Hebreis verisimile est earum cognitionem accepisse. Per vniuersum orbetti huius regionis fertilitas famata laudataque est, qua ob Nili excrescentis statis anni temporibus inundationem accedit, vnde & horreum totius mundi dicta olim Ægyptus, Romanos eo nomine deuinctissimos sibi habuit. Ea autem inundatio circiter Iunij 17. incipere solet tempore æstui solstitij, quo reliqua omnia ferè flumina diminuantur ac decescunt, maximis tum in hoc nostro hæmisphærio Solis ardoribus existentibus, quo tempore hyems est, ad Nili flu. ortum seu fontes habitantibus. Quo argumento adducti nonnulli ijs incrementi causam niues dixerunt, quæ ijs in montibus liquefactæ, tantæ inundationis occasione præbeant. Verum hæc disputandi breuitatis causa omitimus. A prædicto itaque tempore continuis quadraginta diebus crescit, totidemque decrescit. Nec vero omnem Ægyptum Nilus foecundat: sed eam tantum quæ vtrinque eius ripis adiacet partem, cum nullibz ultra trium milliarum spaciū per arua vagetur. Hanc igitur portionem æstiuo sydere exundans limo secum adducto irrigat ac foecundat, adeo efficacibus aquis ad generandum, alendumque, ut præter id quod scatet piscibus, quod Hypothamos Crocodilosque vastas belugas gignit: glebis etiā infundat animas, ex ipsaque humo vitalia effingit. Hoc eo manifestum est quod vbi sedauit diluui, ac se sibi reddidit per humentes campos, quædā nondū perfecta animalia, sed tum primum accipientia spiritum, & ex parte iam formata, ex parte adhuc terrea visuntur. Quæ res adducti nonnulli in Ægypto, tum hominem, tum cætera animantia primo ex limo solaribus radijs formatum assuerare ausi sunt: de qua re lego Theodorum Siculum lib. 1. rerum antiquarū cap. 1. Infra Nili nouissimum catena Elefantis Nili insula est navigationis Ægypti finis, hodie Michias à nonnullis dicitur. In ea est Nilometrum puteus quidam in Nili ripa, ex integro lapide constructus, in quo & maxima & minima, & mediocris Nili incrementa adnotantur, nam putei aqua pariter cum Nilo crescit & decrescit. In eius medio collocata est columnæ, distincta quibusdā notis in cubitos 18. quæ putei est profunditas. Haec vero notæ incrementorum mensura sunt. Prima itaque die duobus, altera tribus digitis eleuantur putei aqua, altera vero semi cubito, sicque deinceps, donec sui incrementi perfectam habeat excrescentiam. Haec itaque obseruantes ex his signis ac diebus multo ante futuram Nili excrescentiam cognoscunt, idque omnibus prædicunt. Quæ res agricolis ad aquarum conseruationem, & aggerum ac canalium effusionem, principibus vero ad prouentus utilissima est, ac insuper etiam futuræ annonæ abundantiam caritatemque prædictit. Decem enim cubiti sterilitatem, duodecim annonæ mediocritatem, quindecim securitatem abundantiamque afferunt, octodecim vero & magnæ alicuius calamitatis præsagium esse dicuntur. Hunc flu. à Moysè Gihon appellatum volunt, vnum ex ijs quatuor quæ Paradysum terrestrem irrigant. Oritur in Goianæ regno ultra æquatorem versus Antarcticum, in móribus Lunæ dictis, ob mirandam eorum altitudinem, ab accolis montes Beth vocantur. Indeque Septentrionem versus fertur, lacuque efficit Zaflan quidem versus Ortum priori. Zembre vero ac Zairæ altero suo torrente, qui fontes nuncupatur, ac paulò citra æquatorem in regno Chedazaflan, coniuncti continuo versus Boream cursu multorum amnium accessu austus, per inferiorem fertur Æthiopiam, Meroenq; insulam amplam in duos ramos, scissus complectitur, quibus se in vnum alueum recipientibus, deinceps varijs flexibus gyrisque nunc hac, nū illac actus, donec Cairum magnam præterlapsus, in plures deriuatur alueos. Eum locum quem Delta à figura quam Græco illi elemēto similem habet, efficit. Indeque septem ostijs in Mediterraneanum mare effunditur. Primum Canobicum patet versus Libyam, post hoc Bolbiticum, Sebenniticum, Pharniticum, Mendesium, Taniticum, postremo Pelusiacum Arabiæ conterminum, ab oppidis denominata omnia. Hic itaque integer totius Africæ circuitus est, à Septentrione quidem Mediterraneano mari, ab Occidente Atlantico, Hesperioque Oceano, à Meridie Capite bonæ spei, ab Ortu vero Oceano Indico, mari Brassodo, ac sinu Arabico, marique rubro limitatus, præter inumeras easdem vastissimas solitudines, aridissimaque

deserta, Regna amplissima comprehendit circiter 137. è quibus 30. plus minus nefando Mahometis dogmati parent, reliqua aut Christianismum tuentur Magno Æthiopia Imperatori subiecta, aut hæresibz addicti, partim cū Christianismo, partim cū Iudaismo participantes, cuiusmodi sunt qui Nubiam incolunt, aut Idolatriæ cum Mahometis erroribus mixtae, imbuti, aut in vniuersum Idolatriæ dediti: aut nec Dei, nec Legum, nec Religionis vlo cultu tanguntur: cuiusmodi pleriq; sunt qui Caput Bonæ spei accolunt. Inularum præterea etiam vtrique mari innatantium ingens multitudo, huic alteri orbis parti annumerandæ, quarum enarrationem hic breuitatis gratia omitto. Quæ enim ratione & montium, & fluuiorum, reliquarumque huius partis rerum, vt pote Minærarum, hec non Thermarum descriptionem consultò præterimus, suo loco illa cùm dabit occasio, tractatur. Superest & huius partis situm quem ad cœlestes circulos habet, consideremus. Itaque omnibus illis populis, qui ab Amare regno eiusque Parallello qui est æquinoctialis circulus ad Gahozæ usque regnum, seu interioris Libyæ Borealem terminum, eiusque parallelum qui est Cancri tropicus habitant, accedit vel Sol bis quotannis per Zenith capitum eorum transeat. Sub æquatore autem degentibus quoquis anni tempore dies sunt æquales noctibus, & stellæ omnes perpetua oriuntur, occiduntque vicissitudine. Vmbræ autem eorum Meridianæ quandoque in Austrum vergunt, quandoque in Septentrionem declinant, quandoque nusquam deflectunt. Cùm autem Sol bis verticibus eorum immineat ad æquinoctialia Arietis Libræque puncta motu suo delatus, ab hisque discedens, vel in Boream euehatur, vel in Austrum decumbat, fit vt vmbra eorū meridianæ aliás nullæ sint, aliás in Meridiem vel Septentrionem procidat. Extra æquatorem sub quoquis parallello dies annuatim bis adæquantur noctibus, æstui dies producuntur, noctes deficiunt, hybernæ noctes contrâ extenduntur, dies minuantur. Quædam stellæ polo Boreo propinquæ perpetuò apparent, quædam cum Antartico depressæ semper latent. Reliquæ oriuntur & occidunt, tantoque varietas hæc maior & euidentior fit, quanto loca quævis ab æquatore longius dissidet. Sub quoquinque insuper parallelo inter æquinoctiale & tropicum vtrumque habitantibus, quoquis anno Sol bis fit verticalis, quo tempore umbras illi meridianas nullas habent. Rursus ad Austrum illis procidunt eadem vmbra Meridianæ, cùm Solem in Boream vident, contrâ in Boream protenduntur, cùm Sol illis versus Austrum videtur. Sed sub tropico vtrouis versantibus Sol semel tantum fit verticalis. Vmbram igitur ipso solsticio die meridianam nullam habent. Reliquo toto anni spacio Cancri quidem tropico subiectis in Boream, Capricorni vero in Meridiem vmbrae iacunt meridianæ. Et his omnibus dies maximi proportione crescunt, habentque degentes inter tropicos solsticia quatuor duo alta, Sole supra verticem eorum trasciente, & duo ima Sole Cancerum Capricorniumque occupante. Itemque extates duas, totidemque hyemes quotannis experuntur. Ijs tandem qui intra alterutrum tropicorum, circulosque Arcticum aut Antarcticum degunt, Sol verticem nunquam attingit, tantoque longius à vertice singulorum dissidet, quanto quicunque eorum ad Arcticum Antarcticumque circulos accidunt proprius. Ideoque vmbra eorum, qui citra Cancri circulum siti sunt, Meridianæ in Boream perpetuò feruntur, illorum vero qui ultra Capricorni tropicum versantur, in Meridiem semper sparguntur, finitæ tamen sunt ac proportione gnomonibus congruent: dies etiam eorum maximi proportionaliter augentur, ni diei naturalis spacium excedant. Atque haec sunt quæ Africa sentit earum rerum varietates, partim cum Europæis, Asiaticisque communis, partim ab ijsdem discrepantes. Amphisciorum siquidem (hoc est eorum qui tam in Boream, quam in Austrum umbras mittunt Meridianas, quales sunt qui inter vtrumque tropicum siti sunt tota Nigritarum terra Æthiopiaq;) ratio eadem est quæ nonnullorum Asie populorum ac Americæ. Heterosciorum vero ratio (hoc est eorum qui in alteram tantum partem, seu in Austrum semper, seu in Boream perpetuò umbras iacunt Meridianas) etiam Europeis conuenit, Perisciorum vero Europæis, Asiaticisque nonnullis, nec nō terræ incognitæ Australi, itemque Americae terræ Septentrionali parti, cōmunis est, ij enim umbras per gyrum circumducunt, cuius rei tota Africa expersa est, perinde vt Europa ac terra Australis Amphisciorum expertes sunt. Climata itaque continet Africa Borealia quidem quinque, sic vt locus is quo in Septentrionem vergit maximè, diem habeat prolixiorum horarum 14¹. Meridionalia vero sex, vnde locus eius Australissimus circa Leonem Oceani diem experitur prolixiorum horarum 15. Extenditur vero ab Occidente in Orientem à gradu longitudinis 5. vbi caput Viride usque ad grad. longit. 85. vbi caput Guardafumi, à Meridie vero in Boream, à gradu 40. latit. Meridionalis vbi Leo Oceani ad grad. 37. lat. Septentrionalis, vbi strictum Gibaltar, milliaria itaque continent ab Occasu in Ortum, vbi longissima est, Germanica 978. seu Italica 5912. ab Austro autem in Boream, vbi longissima est, Germana quidem 1155. Ital. autem 4620.

ASIAE VNIIVERSALIS ENARRATIO.

ASIA tercia orbis pars, omniumque maxima, quippe quæ habitati orbis propè mediū sibi vindicat, ab Europa Tanai fluuiio, palude Mœotidis, ponte mariquæ Aegeo, ab Africa verò sinu Arabico, deinde linea quæ hinc in mare Mediterraneum ducitur, discreta versus Occasum, tribus alijs partibus Oceano iungitur, qui ab Oriente Eous, à Meridie Indicus, à Septentrione Scythicus appellatur. Medium quodammodo Taurus mons ab Occidente in Orientem porrectus secat, latitudinē stadiorum 3000. longitudinem autem eandem quam ipsa Asia continens, obtinere dicitur, à Transmarina scilicet Rhodi ora, usque ad Indiæ Scythiaque extrema Orientem versus, stadiorum circiter 5000. Tam latum autem patensque esse fertur, quicquid Asia nomine continetur, ut Europam Africamque simili iunctus, sua vastitate excedat. Cœlo gaudet temperato, soloque fertili, ob idque omni animantiū genere cultissima existit. At verò hæc cùm talis tantaque sit ipsa Europa, nec frequentior populosiorque, nec cultior exstet: quod partim asperrimis montibus, partim in immensum vallis solitudinibus, arenis, maribusque impedita, partim etiam alicubi immanium ferarū ac atrocissimarum beluarum, serpentiumque gregibus infecta, aut nullius, aut prauissimæ sit habitationis. Id nominis autem vnde adepta sit, à Priscis variè traditur: nonnullis enim Asius Manæi Lydi filius vocabuli author censemur, alijs Asia Oceani & Cethios filia Iapeti vxor creditur appellationis huius occasio extitisse. Cæteris ab Asia Prometheus matre sic dicta videtur: cuius rei fidem penes authores relinquemus. Nos ad eius nonnullam superficiariam tantum accingamur enarrationem, nudis saltem regionum nominibus, nonnullorumque montium ac insigniorum fluminum assignatis, cum loci angustia, Provinciarum singularum descriptiones haud ferat, & illæ sequentibus partim tabulis vtcunque pertractentur, partim etiam oblata occasione olim ampliore (fauente Deo Opt. Max.) vberius eas declarandi nobis animus sit. Omnis itaque continens præscriptis superius limitibus bifariam partitur, in minorem scilicet, & propriè sic dictam Asiam, & maiorem, quæ rursum in Asiam Indiamque didicuntur: hæcque denuo in Occidentalem & Minorem Indiam intraque Gangen, & in Orientalem Maiorem, ac extra Gangen Indiam dispescitur. Sunt autem ultra hanc diuisionem generalem plurimæ huius tam vastæ terræ partes, ac Provinciæ penè innumeræ. Eam autem & si non totam, Ptolemæus Geographorum princeps, libris tribus descriptis, quinto, sexto & septimo, idemque 12. tabulis, prouincias eius faciens 48. Quanquam in ultimo Catalogo libri octauii apud eundem non usque adeò clarum est, num Pontum ac Bithyniam duas faciat regiones, an Galatiæ & Pamphagoniam: Vtique enim illic binæ, quæ in quinto singulæ nec distinctæ. Idem de magna Phrygia & Syria cauæ dubitatur. Sunt autem in quinto hæc nationes. Pontus ac Bithynia, quæ propriè Asia dicuntur, Phrygia magna, Lycia, Galatia, Pamphagonia, Pamphylia, Cappadocia, Armenia minor, Cilicia, Sarmatia, Asiatica, Colchis, Iberia, Albania, Armenia maior, Cyprus Insula, Syria Caua, Phoenice, Palestina, Iudæa, Arabia petræa, Mesopotamia, Arabia deserta, Babylonia. In sexto hæ sunt nationes, Assyria, Susiana, Media, Persis, Parthia, Carmania deserta, Carmania altera, Arabia fælix, Hircania, Margiana, Baætriana, Sogdiana, Sacæ, Scythia intra Imaum montem, Scythia extra Imaum montem, Serica, Aria, Paropanisus, Drangiana, Arachosia, & Gedrosia. In septimo libro sunt hæ. India intra Gangem fluuium, India extra Gangem, Synarum regio & Tabrobane Insula. A recentioribus autem Cosmographis sic hodie enumerantur huius terra Provinciæ: Asia minori annumerantur prouinciae 19. Pontus & Bithynia nunc Turcia, Natolia, propriè Asia minori, Briquia olim Lycia, Galatia seu Gallogracia, Sathalia olim Pamphilia & Mesopotamia, Cappadocia, Anadolia seu Armenia minor, quæ & terra Ararath dicitur. Cilicia nunc Carmania, Sarmatia Asiatica nunc Tartaria pars, Colchis, nunc Mingrelia, Georgiana olim Iberia magna, Albania Orientalis, nunc Suria, Armenia maior, Syria, Palestina, Arabia petræa, nunc regnum Baraab, Diarbech olim Mesopotamia pars, Arabia deserta, Babylonia, nunc terra de Bagadeth. Omnes subiectæ Turcis, præter Georgianam, Armeniam maiorem, Babyloniam & Sarmatiam Tartaris parentem. Asia maiori itidem 19. dantur Provinciæ: Azymia olim Assyria, Seruan olim Media & Persia, Xaich Ismaël olim Susiana & Persidis pars, Terra Tex olim Parthia, Arabia fælix, Desertum Dulcinde, olim Carmania desertum, Cassam, que & Hircania, Margiana, Sogdiana, Baætriana, Sacæ, Scythia intra Imaum montem, Scythia extra Imaum montem, Serica nunc Cambalu, Hetia, Turquestan, Drangiana, Arachonia, Euzerath olim Gedrosia, quibus nonnulli addunt Sablestam Provinciam olim Paropamisum dictam. Omnes subiectæ sunt Periarum Imperatoribus dictis Sophy, exceptis Touruestan, Cambalu & Scythis qui Tartaro subsunt. Indiam autem moderni quadripartitam faciunt. Indiam nimirum intra Gangem flu. totius Indiæ florem, Indiam extra Gangem, Indiam superiorem seu Orientalem, in qua Cataya prouincia, & Indiam Meridionalem, quæ Morfulli & hæc regna continet. Hæ itaque nationes ac prouinciae huius cõtinentis in infinitas propemodum alias dynastias, dominia regnæ; dispescuntur, quorum in sequentibus tabulis quantum loci angustia patitur, mentio fiet: nuac autem iam dictarum regionum succinctè limites, situmque demostribimus. Pontus cum Bithynia ex aduerso Thraciæ sitæ sunt, intercidente Propontide ab Occasu usque ad Olympum montem, deinde ab Aquiloni Ponto Euxino terminatur, ab Ortu Galatia, à Meridie regione quæ propriè Asia. Montes habet Olympum & Horminium, fluuios Sangarium, Ascanium, Psyllum, Parthenium, Asia propriè sic dicta nunc Turcia appellatur vel Natolia. Limites eius Occidentales Helleponus, deinde nunc Turcia terminantur vel Natolia. Reliqua latera Galatia, Lycia, & Pamphylia Aegæum, Icarium & Myrtoum maria. Reliqua latera Galatia, Lycia, & Pamphylia confinia terminantur. Montes in ea Ida, ex quo quatuor fluuij, Esopus, Grenius, Simoentes, & Scamandrus scaturiunt. Phrygiæ mons Cimeus & Timnus, supra hos Lydia montes, Mesotes, Tmolus, & Minas, nec non Nicale mons inter Castrum & Meandrum, fluuios. reliqui amnes sunt Caicus, Hermus, Pactolus. Lycia omnis montibus

Phœnice à Septentrione à Caria, Cadmo ab Asia propriè dicta, Mosicyto à Pamphylia ab Ortu distinguitur. Calbi, Xantho & Lymra fluminibus rigatur. Galatia limites habet ab Occasu Bithyniam, & partem Asiae propriæ seu minoris, à Meridie Pamphyliam, ab Ortu Cappadociam, à Septentrione Pontum Euxinum: in hac Paphlagonia comprehenditur ad Euxinum Pontum. Montes habet Oligam & Didymum. Fluuios autem Zaliscum & Alim. Pamphylia terminatur ab Occasu Lycia ac Asia, à Septentrione Galatia, ab Ortu Cestro fluui, à Cilicia & Cappadocia, à Meridie montibus & mari suo. Terra olearum fertilis est. Montes habet Lycia montanis continuos. Horum qui maximè in Septentrionem vergit Celenorum tumulus dicitur, qui deinde Lycia attinet Taurus mons, qui per totam Asiam, Armeniam, Scythiamque flexuosus serpit. Fluuij humectatur Cestro, Euremedone, & Cataracta. Cappadocia olim Leucosyria, à Cappadoce eius regionis fluui sic dicta: frumento, pecoribus, præsertim auté equis generosis nobilis: inter Halim fluuium ab Occasu, inter Taurum, Antitaurum & Scordiscum montes, & Thermodontem fluuium continet. Mediterraneana eius Argeus mons occupat, vnde Melas fluuius per minorem Armeniam decurrēs, postea Euphrati miscetur. Medium autem Cappadociam Iris fluuius flexuoso ambitu ex Scordisco monte peragrat. Armenia minor à Septentrione & Occasu habet Cappadociam, ab Ortu Armeniam maiorem, distinctam ab ea Euphrate flumine, à Meridie Ciliciam. Cilicia terminatur ab Occasu Pamphylia & Cestro fluui, à Septentrione mōte Tauro, Cappadocia & minore Armenia, ab Ortu Ammano monte, à Meridie Issico sinu, siue Cilicio mari. Medium hanc Cydnus fluuius irrigat, amnes reliqui sunt Ormagdus, Calydinus, Lamus, Sarus, Pyramus ex Tauro in Cyprium mare descendit. Sarmatia Asiatica terminatur, à Septentrione terra Ptolemao incognita, ab Occasu Sarmatia, Europæ, Tanai fluui, Mœotide palude ac Cimmerio Bosphoro, à Meridie Euxino mari, Colchide, Iberia ac Albania, ab Ortu Scythia intra Imaum montem & mari Caspio. In hac Amazones, montes Hyperborei, & Caucasus, Alexandri columnæ. Has Sarmatias Ptolemaei authores, alij Scythias nominant, ac de alijs duabus Scythis aut nihil aut parum tradunt: tametsi omnes Septentrionis populos Scytas nominant passim. Colchis diues opum regio, & amnibus auriferis nobilitata, habet à Septentrione Sarmatiam Asiaticam, ab Occasu Pontum Euxinum, à Meridie maiorem Armeniam, ab Ortu Iberiam. Fabula est Iasonem ex Theßalia cum Argonautis huc aduentasse, aureumque Vellus abstulisse. Montes ab Aquilone prætensi ex Caucaso oriuntur, à Meridie Mochili adiacent. Fluuij Corax, Hippus Cyaneus, Phasis, omnes ex Caucaso orti in Pontum Euxinum deuoluuntur. Iberia vndeque montibus septa, terminatur à Septentrione Sarmatia, ab Occasu Colchide, à Meridie maiore Armenia, ab Ortu Albania. Vtrum ab his Hispani Iberi, an verò hi ab Hispanis oriundisint, lis est apud authores. Quatuor aditus in Iberiam ducunt admodum difficiles. Ex Colchide itur per angustias montis, per quas Phasis excurrit 120. pontibus transmeandus. Nec minus difficilis ex Nomadibus aditus patet. Ex Albania verò via est per petrā excisam, dehinc per stagnum, quod amnis ex Caucaso cadens efficit. Ex Armenia quoque per angustias itur, quæ circa Cyrus fluuium sunt. Armenia habet à Septentrione Sarmatiam, ab Occasu Iberiam, ab Ortu mare Caspium, à Meridie Armeniam maiorem, sic dicta, quia in ea Incolarum pueri albis capillis nascuntur, plus cernentes noctu per oculos, quæ interdiu Regio frigida & aspera. Canes tanta corporis mole gignit, vt Taurum & Leonem premant. Tres autem dictæ regiones hodie Tartaria ascribuntur, Mons Caucasus hanc à Sauronatis dirimit. Habet autem idem mons portas quas Sarmathicas vocant authores, & portas Albanias. Fluuij Albaniæ sunt Cyrus, Albanus, Cæsus, Gerrus, & Soana ex Caucaso perfluentes in Hyrcano mari desinunt. Armenia major terminatur à Septentrione Colchide. Iberia ac Albania, ab Occasu minore Armenia ac Euphrate parte etiam Cappadociæ, ab Oriente mari Caspio & Media, à Meridie Mesopotamia atque Assyria. In montibus Armenia post Diluvium Arca Noë consedisse dicitur Genef. cap. 8. Addunt quidam etiam in Gordiæis montibus. Montes etiam in ea Antitaurus & Periades. Hinc Euphrates nominatissimus fluuius oritur, qui Armeniam in duas diuidens partes, dein post mille circuitus Tigri cõiunctus, iuxta Babylonie limites in sinum Persicum egreditur. Ex eodem etiam monte fontes habet Araxes fluuius, qui in Ortum tendit. Cyprum insulam quod eam in Europæ marisque Mediterranei insulis tractauerim, hic prætero. Syria variarum opum diues, frugum fertilis, & Balsamis opima. Natio Iudæorum scriptis mirè celebrata. Terminatur à Septentrione Armenijs, ab Occasu Syriaco pelago, à Meridie Iudæa Palestina, intercedente Carmelo monte, ab Ortu Arabia deserta, Mesopotamia, ac flumine Euphrate. Sub ea Phœnicio comprehenditur, ex qua Phoenix auis, & Syria Caua siue Coelefyria. Montes habet Pierium, hinc Sinoas flu. versus Aquilonem ad Euphratem usque procedit. Cæsum montem, Libanum montem diuersarum specierum fertilitate præditum. Hinc quatuor fluuij labuntur, Ador in Occasum, Eleutherus in Occasum Hybernum, Orcus qui & Verne in Aquilonem, Chrysoroas in aduersam partem. Antilibanum montem, ex hoc Leon flu. Syriacum mare petit, & Iordanis latè per Iudæam spargitur. Hippum & apud Arabiam desertam Alfadamum montem. Palæstina Iudæa Syria pars habet, à Septentrione Phœniciam, ab Ortu Syriæ partem, à Meridie Petram Arabiam, ab Occasu Syriacum pelagus. In ea Iordanis fluuius in lacum Genesareth effunditur: quem à Ptolemao Tiberiadis lacum dictum puto, denique in Asphaltida labitur, quod mare mortuum seu Sodomorum vocant. Arabia triplex est, Petras terminatur ab Occasu Ægypto, à Septentrione Palæstina Iudæa, à Meridie interiori sinu Arabico, ab Ortu Arabia fælice & deserta. In hac Petra est Metropolis, vnde regioni nomen. Hæc olim Nabatæa dicebatur. Arabia deserta habet à Septentrione Mesopotamiam, ab Ortu Babyoniæ, à Meridie fælicem Arabiam, ab Occasu Syriam & Arabiam Petram. Regio ingens, montuosa, arenosa, & verè deserta. Arabia fælix quæ à Ptolomæo lib. 6. describitur, à Septentrione habet Petram atque desertam Arabiam, ab Occasu sinu Aræ bicum, à